



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

Festum Resurrectionis D. N. Jesu Christi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

# FESTA MOBILIA.

FESTUM RESURRECTIONIS D. N.

JESU CHRISTI.

O triumphe ! Io ! Vicisti Christe  
amor meus ! agnosco vultum victo-  
rum , & victricem , quā hostis meus  
cedidit , manū : video in bono Du-  
ce victoriæ vestigia , plagas adversas !  
laudo trophæum nobile , Crucis arborem .  
Ecce ante currus triumphales cum mun-  
do dæmonum , cum morte carnem . Io !  
tæli plaudite : aér insona : triumphum  
clamate litora : terra resulta : & tu Echo  
mille hodie ora indue . Heus ! adeste  
quotquot estis mundi cives ! quercus ,  
imò nemora spoliate , & Servatori vestro  
*Civicam* ferte . Agite veris arva latissi-  
ma , rectè omne , quod vobis est , gramen  
suppeditatis . Nam *obsidionalem* non jam  
urbs , sed orbis debet obsidio dæmonis  
liberatus . Eia , quid moras neftitis , qui  
in lacrimis natatis naufragi ? quin tabu-  
las colligitis , & *Navalem* paratis illi , qui  
victor Stygem trajecit ? Quin *Castrensi* or-  
natis eum , qui primus castra Phlegethon-  
tis victor transcendit ! Ecce Angeli ra-  
mis suis Palladem spoliant feruntque  
*Oleaginam* illi , qui pacem D E U M inter  
& homines potuit componere . Sed  
numquid *Triumphales* obliuiscemur co-

A  
ronæ ?

2 FESTA MOBILIA.

ronæ? Ecce ultrò laurus in seruum abit,  
æternam viriditatem sperans , si hæc  
tempora contigerit. Sed & tu abi in  
ignes omne aurum , & exi corona  
Triumphatori meo. At tu cape has coro-  
nas victor Amor , & si omnibus his rosæ  
fæse immisceant , ne has repudia. Spinæ  
nuperæ dederunt.

Susceptis tecum aromatibus Dominicum  
visere cura sepulchrum. Ibi lacrimas de-  
votionis effunde ; nec usqnam divertas ,  
donec resuscitati Domini teneas vestigia ,  
contrectes manu ac lenias osculis clavorum  
foramina. Illum audi loquentem , agnosce  
viventem , dilige diligentem. S. Laur. Iust.  
serm. de Resur. D.

FESTUM ASCENSIONIS D. N.  
JESU CHRISTI.

Io ! iterum: iterum Io ! iterum Trium-  
phe ! Ecce amor meus triumphans  
Capitolium cœleste petit ! Ecce obvios  
omnes cæli cives ! Ecce erectos orco &  
servatos Patres , omnes cæli libertate pi-  
leatos ! O numerum daretur horum au-  
gere ! ô ultima triumphi appendix pe-  
dibus hærere possem triumphantis !  
Vicisti , eia Amor Christe amatum.  
En manus do vietas. Victrum eccur non  
etiam in triumphum ducis ? Ecce se-  
quar vel vincitus currum. Heu mihi ! sine  
me hem jam nubes transit, hem Christus  
habet